



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Liber VIII. Physicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quam in illo habet corpus mobile est posterior impulsu, & ab illo producta.

13 Ex tota doctrina tradita clarè constat non rectè intulisse Arriagam, ex eo quod viuens non indigeat approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, non illa indigere ignem ad calefaciendum lignum, quia approximatō requisita inter viuens, & mobile in instanti temporis, in quo hoc mouetur ab illo localiter, est

quid consequens motum localem, & ita neque potest, neque necessum est illum antecedere: approximatō verò requisita inter agens, & passum in instanti temporis, in quo est motus, non est quid consequens motum, ac proinde potest, & necessum est illum antecedere, quia quidquid requiritur in aliquo instanti temporis, & non concomitanter, neque consequenter, sicuti approximatō respectu motus localis, debet necessariò antecederet requiri.



LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.



CONTROVERSIA XIX.

De mundi inceptione.

D V o sunt entium genera permanentium, & successiuorum, de quibus non eadem est difficultas circa ipsorum inceptiōem, an videlicet ab aeterno esse potuerit. Dicam prius de permanentibus, in quibus minor est difficultas, & postea agam de successiuis, & vltimò inquiram an ab aeterno potuerint esse generationes.

PUNCTVM PRIMVM.

An creatura permanens potuerit esse ab aeterno.

1 IN hac re scèdè errauit Philosophorum Princeps, qui mundum fuisse ab aeterno sentiebat, vt testatur D. Bonauentura & plures antiqui Philosophi ex illius discipulis, quos referunt Patres Conimbr. libr. 8. cap. 2. quæst. 3. art. 1. error iste ex insanissimò delirio trahebat originem, putabat enim Deum non liberè, sed necessariò operari, & ita non potuisse suam operationem cohibere, & ab aeterno non produxisse mundum. Deo Optimo Maximo perfectissimam inesse libertatem circa omnia effecta ad extra producenda ostendit naturæ lumen, creaturas omnes in tempore produxisse pluribus scripturæ testimoniis reuelatum est. Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram*, & Psalm. 101. *In initio tu Domine terram fundasti*, neque aliqua pro errore Philosophi apparens potest adduci ratio, quam referri otiosum non esset. Contendendum est inter Catholicos an creatura aliqua ab aeterno creari potuerit, quod modò de permanenti disputo.

2 Nullam creaturam permanentem potuisse à Deo, produci ab aeterno sentiunt Henr. quodlib. 1. quæst. 7. & quodlib. 2. quæst. 19. & alij apud Patres Conimbr. infra, quibus consentire videtur N. Toletus 8. Physicor. q. 2. Oppositam sententiam defendunt D. Thom. 1. part. quæst. 46. art. 2. P. Suarez. 1. Metaphysic. disp. 20. sect. 6. num. 11. P. Vasquez tom. 2. in 1. part. disp. 177. cap. 5. P. Valent. tom. 1. disput. 3. quæst. 3. punct. 2. §. *Secunda assertio*. Patres Conimbr. 8. Physicor. cap. 2. quæst. 6. art. 2. Rub. tract. de æternitate mundi, q. 2. P. Hurtad. disp. 16. sect. 1. P. Arriaga disp. 17. sect. 2. subsect. 2. & alij plurimi apud istos, quibus ego subscribo.

3 Probant Hurtadus, & Arriaga, aliquæ plurimi sententiam hanc, ex eo quod causa non debeat tempore præcedere effectum, ex quo inferunt Deum ab aeterno existentem ab aeterno posse creaturam aliquam producere. Causam non debere præcedere effectum prioritate temporis suadet experientia, qua videmus lucem in primo suæ du-

rationis instanti medium illuminare, & ratio rem conuincit, quia in agentibus, quæ contrarium non habent, nullum caput reperiri potest, quo in primo suæ existentie instanti impediatur, ne effectum producant, quem producant in secundo, neque ratio est aliqua, propter quam in hoc secundo, & non in illo primo operentur, cum eadem sit virtus agentis in primo instanti, in quo existit, & in secundo, in quo idemmet perseuerat. Deinde vt virtus in hoc instanti se per actionem exerceat, requiritur illius existentia in hoc instanti, & existentia præterita per accidens se habet ad actionem nunc exercendam: ergo hæc virtus, à qua actu existenti procedit actio, eodem modo principium erit huius actionis siue ante extiterit, siue non extiterit: ergo dum existant in hoc instanti eodem modo operabitur, siue in hoc instanti existere incipiat, siue extiterit. Idem dico de causa libera respectu effectus liberi futuri, qui potest esse coæuus suo principio, quia ad hoc vt voluntas in hoc instanti liberè se determinet, tantum requiritur in hoc instanti esse indifferentem ad operandum, & non operandum, & impertinenter se habet in instanti antecedenti indifferentiam præcessisse. Quod si in instanti, in quo datur operatio ex suppositione quod detur, non possit non dari, necessitas hæc tantum est consequens, quæ libertatem integram relinquit, quia in hoc instanti ita est actus liber, vt potuerit non esse. Hac ratione Deus ab aeterno liberè se determinauit ad producendas in tempore creaturas, & omnia illius libera decreta sunt æquè æterna cum ipso Deo. Eodémque modo Angelus in primo suæ creationis instanti liberè potuit operari.

4 Cæterum etsi verum sit causam non debere tempore effectum præcedere, non ex hoc capite soluta est præsens quæstio, neque adæquata potest desumi ratio ad nostram conclusionem probandam, posset enim aliquis dicere creaturam ab aeterno existentem repugnare, non ex eo formaliter quod illam debeat præcedere causa, à qua producit, sed quia secundum se independentem à præsentia temporis quam causa debeat habere respectu effectus, repugnat effectum aliquem ab aeterno existere. Ex quo fit causam creatam existentem in tempore non debere effectum tempore præcedere, debere tamen causam increatam existentem ab aeterno tempore præcedere effectum ab illa productum, non quia hæc præcedentia conducant ad causalitatem, sed quia causa increata per se habet esse ab aeterno, & effectus creatus per se petit esse in tempore, ex quo fit causam increatam necessariò habere temporis præcedentiam respectu effectus. Conducat tamen ratum esse causam non debere tempore præcedere effectum, ne ex hoc capite intendat aliquis probare creaturam non potuisse existere ab aeterno, quia illius causa debuit tempore præcessisse, quod falsum esse tam in causis liberis, quam in necessariis iam ostendi. Huius conclusionis solida, & adæquata probatio fumenda est ex solutionibus argumentorum, quæ fieri possunt contra creaturam permanentem ab aeterno existentem. Breuiter argumenta propono, & soluo.

Obiic. primò: *Creatio est productio rei ex nihilo*, sed si effectus fieret ab aeterno non fieret ex nihilo, quia non præcessisset nihilum, seu negatio illius, ex quo fieret: ergo non crearetur

Hh 4

crearetur: ergo ut creetur debet prius tempore præcedere illius negatio: ergo non potest creari ab æterno, id enim quod fuit ante, aliud ab æterno esse non posse ostendi Controv. 13. Punct. 1. Respondeo rem fieri ex nihilo non esse fieri ex negatione sui, sed fieri nullo præsupposito subiecto, ad quod non requiritur præcessisse prius tempore negationem, nihil enim vetat ab æterno existere actionem nullum subiectum respicientem.

6 Obiic. secundò: Si Deus ab æterno creaturam aliquam produxisset, non posset illam per æternitatem destruere, implicat enim aliquid ab æterno existere, & non durare per æternitatem. Consequens est absurdum, quia Deus liberè in quocumque instanti creaturam conservat, & in quocumque potest illam corrumpere: ergo antecedens est falsum. Vigetur, illa creatura non posset corrumpi per æternitatem: ut probatum est, quia per æternitatem erat necessariò duratura: insuper posset corrumpi, quia omnis creatura ex se est corruptibilis, & potest in quocumque instanti deficere: ergo creatura illa posset per æternitatem corrumpi, & non posset corrumpi. Respondeo ex suppositione quod Deus creaturam ab æterno creaverit non posse non per æternitatem illam conservare, quod enim ab æterno existit non potest ab æterno non existere, ac proinde negatio illius, quod ab æterno est, in tempore debet incipere, quod præcessit æternitas, in qua fuit res, cuius in tempore negatio incipit, vel quæ in tempore corrumpitur. Hoc autem nullum est absurdum, neque aliquam necessitatem antecedentem ad decretum liberum Dei arguit in Deo conservandam creaturam, quia necessitas illa non est absoluta, sed ex suppositione quod Deus liberè voluit ab æterno creaturam illam producere, quod est idem formaliter, quod velle illam per æternitatem conservare, quia in his, quæ ab æterno producuntur, neque mente diuinà potest fecerit productio à conservatione, quia productio ut distincta à conservatione dicitur primum instans, in quo existit terminus, quod non est in termino ab æterno productum, quia nullum datur instans, quod sit primum sue durationis. Itaque tam ex parte actus, quam ex parte obiecti est idem decernere Deum creaturam ab æterno producere, & decernere per æternitatem conservare illam, & sicuti nullus dicit esse contra libertatem Dei non posse per æternitatem creaturam corrumpere, quam decrevisset per æternitatem conservare, ita non est contra libertatem Dei non posse per æternitatem corrumpere creaturam quam decrevit per æternitatem producere, quia, ut dicebam, idem est decernere creaturam ab æterno producere, & decernere illam per æternitatem conservare. Ad confirmationem respondeo creaturam ab æterno productam intrinsecè esse corruptibilem, & in quocumque instanti ex natura rei posse corrumpi, etiam si non possit per æternitatem non durare, eo ipso quod fuerit ab æterno producta, quia ante quodlibet instans in quo illius corruptio esse contingat præcessit æternitas, in qua res illa potuit per æternitatem durare, & in qua extrinsecè est incorruptibilis consequenter, seu ex suppositione sicut lux conservata in hoc instanti non potest in illo corrumpi ex suppositione, quod sit conservata in hoc instanti, quod non est rem esse intrinsecè incorruptibilem, sed tantum extrinsecè, & ex suppositione, sicuti non est rem esse intrinsecè incorruptibilem non posse in hoc instanti corrumpi ex suppositione quod in illo conservetur, vel producat.

7 Obiic. tertio: Si Deus ab æterno crearet ignem & simul cum illo crearet stupam applicatam, stupam non posset ab æterno corrumpi propter rationem dictam præcedenti argumento: ergo corrumpetur in tempore: insuper ignis cum esset agens necessarium illam corrumpere, ut primum posset: suppono ergo illam corrumpere in instanti A: tunc ignis corrumpisset stupam in primo instanti, quo posset propter rationem dictam, & non illam corrumpere in primo instanti, quo posset, quæ sunt contradictoria. Respondeo ignem non combustum stupam in primo instanti, in quo posset, non quia posset in aliquo instanti illam comburere, & actionem subtraheret, sed quia nullum daretur instans, in quo primo posset stupam comburere, ante quodlibet enim daretur aliud, in quo prius posset stupam comburi. Vnde claritatis gratià negandum est suppositum illius propositionis: ignis comburere stupam primo instanti, quo posset, non enim datur tale instans, neque posset assignari à Deo; similiter dicendum est contra Ariagam Deum non posse decernere ab æterno producere creaturam in

tempore, cum primum posset in tempore, quia hoc esset decernere creaturam producere in instanti, quod non est, nullum enim est instans primum, in quo effectus possit produci à Deo, ita ut non poterit in alio præcedenti produci.

Sed inquires, in quo instanti ignis stupam combureret, combustio enim eo ipso, quod sit futura, est futura in aliquo instanti determinato. Attente subtilem solutionem accipe: eo ipso quod Deus decernat stupam ab æterno producere, decernit independentem à quocumque contrario exigente stupam corruptionem, stupam per æternitatem conservare, quæ æternitas à parte antea terminum non habet, neque recipit magis, aut minus, bene tamen à parte post, quia à parte post est finita, & terminum habet duratio, quæ à parte antea dicitur æternitas. Hic autem terminus potest esse aliquid ex finitis instantibus successivis, quæ Deus ab æterno cognovit postea futura, non tamen debet esse potius hoc quam illud, quia res æterna à parte antea potest hoc vel illo instanti finiri: debet ergo Deus, qui effectum ab æterno producere decernit, si non decernit illum in æternum à parte post conservare, decernere conservare illum independentem à quocumque contrario exigente illius conservationem vigere ad certum, & determinatum instans, quod ipse maluerit. Suppono ergo Deum decrevisse stupam ab æterno productam conservare independentem ab exigentia contrarii vigere ad instans B: tunc stupam corrumpetur in instanti C, quia in præcedentibus ex vi decreti, quo Deus illam decreverat ab æterno vigere ad instans B, conservare, stupam illam corrumpi non poterat. Quod si Deus per decretum, quo decrevit stupam ab æterno producere decrevisset illam conservare independentem ab omni alia entitate vigere ad instans C: tunc combureretur in instanti D: semper enim stupam combureretur in instanti immediato à parte post terminatio æternitatis, per quam Deus decreverat conservare stupam, etiam si naturales causæ illius corruptionem exigerent. In hoc sensu verum existimo ignem combustum stupam in instanti, quo primum posset, non absolute, & antecederet, quia hoc non datur, sed ex suppositione decreti, quo Deus voluit stupam ab æterno producere, quod decretum imbibit voluntatem conservandi creaturam illam independentem ab omni contrario, vigere ad determinatum instans, si non est decretum, quo Deus velit creaturam à parte antea, & à parte post perpetuo durare.

Obiic. quarto. Æternitas est propria Dei: ergo non potest convenire creaturæ. Respondeo æternitatem intrinsecam ex vi cuius antecederet ad quodcumque decretum, & existentiam rei repugnat ab æterno, & in æternum non existere, esse propriam Dei, quæ non potest convenire creaturæ, quæ in quacumque duratione existit dependenter à Deo: æternitatem verò extrinsecam, & accidentalem, ex vi cuius ita existit aliquid ens ab æterno, ut antecederet potuerit non existere, rectè posse competere creaturæ.

Obiic. quinto. Patres inferebant contra Ariam; Verbum non esse creaturam ex eo quod fuerit ab æterno: ergo esse ab æterno est contra rationem creaturæ, alias inefficax esset Patrum argumentatio. Respondeo: Patres arguere ad hominem contra Ariam, qui admittebat nullam creaturam fuisse ab æterno, quo admissio efficax est illorum argumentatio, quod si aliquando innuant æternitatem esse propriam Dei, quæ non potest creaturæ cōpetere, loquuntur de æternitate per essentiam argumento præcedenti explicatam. Multi impugnant existentiam creaturæ permanentis ab æterno ex duratione illius, quæ esset successiva, & infinita, contra quam sunt omnia argumenta, quæ puncto venturo expendant contra successuorum naturam, sed hæc argumenta in mea sententia, quæ non admittit durationes superadditas locum non habent, & de illis iudicium feram punct. 3. ubi contra motum ab æterno fluentem illa instituiam.

PUNCTUM II.

An generationum series potuerit esse ab æterno.

Non est questio an subito, vel ab æterno potuerit esse infiniti homines geniti, in qua difficultate due continentur: An repugnet infinita multitudo, & an repugnet entitas ab æterno existens: utraque iam definita, prior Controv.

Controuers. 14. Punct. 4. ubi dixi non repugnare infinitam multitudinem; posterior Punct. precedenti, ubi probavi non repugnare creaturam permanentem ab aeterno existere, ex quibus constat non repugnare modo hic infinitos homines gigni, aut ab aeterno genitos existere. Tractanda est modo questio an possit dari infinita series hominum qui successiue gignantur immediate vnus post alium, ita vt ab aeterno series illa generationum processerit, & adhuc his terminis propoſita difficultas maiori diuisione explicanda est. Potest inquiri an hi homines successiue geniti possint omnes procedere ab vno principio, videlicet à Deo omnes & singulos producente. Et potest inquiri an hi homines possint procedere per naturalem propagationem suo ordine deriuatam per atauos, abauos, proauos, patres, & filios. In priori sensu continet difficultatem, quam continent successiua ab aeterno existentia, & eodem modo definiendum est an possint infiniti homines successiue produci à Deo, & an possint ab aeterno fluere infinita partes motus, de quo Puncto sequenti: in praesenti ergo tractanda est difficultas tantum in posteriori sensu, an videlicet ab aeterno possint infiniti homines successiue procedere per naturalem propagationem vnus ab alio.

2 Generationes ab aeterno procedentes per naturalem propagationem non repugnare tumentur Greg. Gabr. Okam & Caietan. apud P. Rubium hic quest. 4. Oppositam sententiam tumentur P. Vasquez 1. part. disp. 177. P. Rub. supra PP. Conimbr. quest. 7. P. Hurtad. disp. 18. sect. 2. P. Arriaga disp. 17. sect. 1. Ratio est facilis: in illa hominum serie necessarium deueniendum est ad vnum hominem, qui immediate tantum procedat à Deo, quia non possunt omnes non procedere ab vna prima causa, à qua tota illa series tanquam à principio deriuatur. Insuper homo immediate ab illo genitus, non fuisse genus, neque existens ab aeterno, quia habuit progenitorem prius tempore existentem, nihil autem, quod est ab aeterno habet aliud tempore praecedens, neque prius illo, quia ante aeternitatem nihil est. Vel ergo inter productionem primi hominis producti à Deo, & inter generationem alius ab hoc geniti intercessit aeternitas, vel finitum tempus: si aeternitas: ergo series illa hominum fuit interrupta per aeternitatem, & tantum homo productus à Deo ab aeterno existit. Si tantum intercessit tempus finitum: ergo primus homo tantum praecessit secundum in duratione finita: sed secundus non fuit ab aeterno: ergo neque prior, qui duratio finita addita durationi finitae non facit durationem infinitam.

3 Argumenta alia, quae pro eadem sententia adducuntur solida non sunt. Sic argunt multi recentiores ex P. Vasquez, & ex P. Rubio: Homo non potest alium hominem producere secundum se totum: ergo saltem materia est ab alio, sed materia praesupponitur cuilibet homini: ergo materia ab alio, seu connotans aliud principium est prior tota collectione hominum: ergo Deus supponitur vt connotatus à materia ante totam collectionem hominum: ergo productio materiae est prima omnium productionum, & prior omnibus generationibus hominum: ergo generationes hominum non potuerunt esse ab aeterno. Non percipio vim illationis: concedo Deum supponi connotatum à materia ad omnium hominum generationes, & productionem materiae priorem esse tota collectione hominum prioritate naturae, ex qua prioritate non sequitur generationes hominum non fuisse ab aeterno, sicuti ex eo quod omnis causa sit prior naturae effectui non sequitur effectum posteriore naturae non posse esse ab aeterno coexistentem causae: sic posset contingere in generationibus, quarum collectio posterior naturae productioni materiae posset esse ab aeterno simul cum materia ratione diuersarum generationum successiue fluentium, si ex alio capite generationes ab aeterno repugnantiam non habeant, haec enim non oritur ex eo quod debeat dari aliqua generatio, seu productio prior naturae reliquis omnibus, sed ex eo quod debeat dari vna quae sit prior tempore reliquis aliis, quam dari non infertur ex eo, quod productio materiae sit prior naturae reliquis omnibus generationibus.

4 Confirmare intendunt eandem conclusionem. Haec generationes ordine naturae factae diuifim & collectiue sumptae supponerent alterationem, & reliquas dispositiones prius tempore existentes: ergo haec generationes ab aeterno non sunt, nam quod aliud prius tempore supponit, ab aeterno esse nequit. Difficultas haec non specialiter insinuitur de generationibus quatenus habent hunc, vel illum

modum procedendi à suis principiis, neque generationes hominum adducuntur in disputatione, quia specialiter de illis procedat, sed exemplum generationum hominum fuit adductum, sicuti possit in aliis quibuscumque generationibus substantialibus, vel accidentalibus adduci, quae dispositiones aliquas supponunt, quapropter si specialem aliquam difficultatem haberet argumentum ratione dispositionum, quae prius tempore supponerentur ad generationes hominum, ad praesentem questionem non spectarent, in qua inquirimus an possint infinitae generationes ab aeterno fluere cum dependentia vnus ab alia, quia haec procederet à termino genito per generationem antecedentem, & antecedens à termino genito per aliam praecedentem, & sic in infinitum, quae difficultas tractanda est independenter à quibuscumque dispositionibus praerequisitis, vt etiam in generationibus accidentalibus locum inueniat. Neque admissis dispositionibus praecedentibus generationes hominum adhuc in his conuincit hoc argumentum non posse ab aeterno procedere. Quia etsi quaelibet generatio particulariter sumpta supponat dispositiones tempore praecedentes ipsam generationem, tota tamen generationum collectio non supponit dispositiones tempore praecedentes, quia non infertur ex eo, quod quaelibet generatio supponat prius tempore dispositiones, collectionem illas supponere, neque aliud est caput, ex quo possit deduci totam collectionem dispositionum supponere dispositiones prius tempore existentes, nisi quia quaelibet generatio particulariter sumpta illas supponit: ex hoc autem non deduci sic probatur. Haec est vera propositio in sententia Aristotelis: *Post quamlibet diuisionem in partes quantumvis minimas possibilis est alia.* Et in sententia eiusdem Philosophi ex illo antecedenti deduci non potest: *ergo post omnes diuisiones huius continui possibilis est alia.* Similiter haec est vera propositio: *quolibet numerus finitus habet alium finitum numerum excedentem*, & haec non est recta illatio: ergo omnes numeri collectiue sumpti habent numerum excedentem. Eodem modo haec est vera propositio: *quolibet species seorsim sumpta ex omnibus possibilibus habet aliam perfectiorem se, & haec consequentia est inepta: ergo tota collectio specierum habet aliam speciem perfectiorem: ergo eodem modo haec erit mala consequentia, quaelibet generatio habet dispositiones tempore praecedentes: ergo tota collectio generationum habet dispositiones tempore praecedentes, maxime cum ad collectionem vt collectio est formaliter, nullae dentur dispositiones, sed tantum ad singulas generationes seorsim sumptas. Aliae rationes minoris momenti pro eadem conclusione adduci solent, quam tantum efficaciter probat ratio primo loco adducta.*

PUNCTUM III.

An possit dari motus, tempus, aliudve successiuum ens ab aeterno existens.

1 **Q**ui negant posse infinitum actu adhuc successiue produci, negabunt consequenter, posse dari motum, tempus, aliudve successiuum ens ab aeterno fluens. Sed specialius de hac questione disputantes id negant Durand. in 2. distinct. 1. quest. 2. art. 3. Sotus lib. 3. Physic. quest. 3. P. Soar. in Metaphysic. disput. 20. sect. 6. num. 13. P. Val. tom. 1. disput. 3. noster Tolet. lib. 8. Physic. quest. 2. P. Rub. hic quest. 3. P. Hurtad. disput. 18. sect. 2. & 3. Motum, & aliud quoduis ens successiuum ab aeterno existens non repugnare. Defendunt D. Thom. de potentia, quest. 3. art. 14. in 2. distinct. 1. quest. 1. art. 3. 2. contra Gentes, cap. 58. P. Vasq. 1. part. disput. 177. P. Perierius lib. 15. cap. 13. P. Arriaga. disp. 17. sect. 2. Plures Thomistae, & Nominales ferè omnes apud P. Rubium supra.

2 Sentio motum aliudve positiuum ens ab aeterno existere repugnantiam non inuoluere. Solida conclusionis probatio erit argumentorum solutio, quae contra illam adducunt oppositae sententiae propugnatores. Argumenta propono, & diluo.

3 Obiiciunt primò recentiores, inconsequenter concedi motum ab aeterno, & negari infinitas generationes ab homine vno per naturalem propagationem descendentes, quia partes omnes motus proueniunt ab vno subiecto, ab vno Angelo calos mouentes, & ab vno Deo primo motore, quae

quæ omnia principia subiectum, Angelus, & Deus sunt priora natura reliquis partibus motus, & ita eadem est repugnantia in partibus motus, & succedentibus ab vno ex his principiis, subiecto Angelo, & Deo, ac est in generationibus infinitis procedentibus per naturalem propagationem. Respondeo rationem longè esse diuersam, quia cum concedimus infinitas partes motus ab vno Angelo, non concedimus Angelum prius tempore existentem reliquis omnibus partibus infinitis successiue fluentibus, in quo est manifesta repugnantia, repugnat enim entitates ab æterno à parte antea existentes habere aliquam aliam tempore præexistentem, à qua procedant reliquæ omnes, quod concedendum est, si admittantur infinitæ generationes per filios, nepotes, & pronepotes descendentes, propter quam rationem negauimus posse dari hanc generationum processionem, in infinitis autem partibus motus immediate procedentibus ab vno Angelo non debet concedi Angelum tempore præexistens infinitis partibus motus, sed illis ab æterno coexistentibus, in quo nulla est repugnantia, sicuti non esset in infinitis generationibus immediate ab vno homine successiue fluentibus, in quibus non debet reperiri vnus homo genitus prius tempore existens reliquis aliis, sicuti debet dari in his, qui procedunt per naturalem propagationem parentum, auorum, proauorum, &c. quia semper deueniendum est ad vnum principium influens in quoscumque alios effectus, non tamen necessarium est deuenire ad vnum prius tempore existens reliquis omnibus in his, quæ successiue fluunt immediate ab alio distincto omnibus coexistente.

4 Obiic. secundò: Successio dicit partes priores, & posteriores, hanc aduenire, & abire illam: sed nulla pars potest aduenire ab æterno, quæ si ab æterno aduenit per æternitatem durauit, & sic in æternitate nulla est successio partium, sed existentia eiusdem, inter ipsam & partem aliam æternitas intercessit: ergo non possunt dari partes ab æterno successiue fluentes. Vrgent assignatis duabus quibuscumque partibus motus, duobusve quibuscumque indiuisibilibus in sententia Zenonis, in qua clarius omnia patent: vnum debet esse posterius alio, hoc posterius ab æterno esse non potest, illud prius, vel præcedit posterius immediate per æternitatem, vel per vnicum instans, si per æternitatem inter indiuisibile, & indiuisibile motus intercessit æternitas, & ita motus non fuit ab æterno successiue continuè fluens: si per vnicum instans: ergo sicuti indiuisibile posterius non fuit ab æterno, sed in tempore, sic & prius, quia quod tantum præcedit per tempus finitum aliud in tempore existens necessarium est in tempore, & non ab æterno. Hoc argumentum, & alia plurima, quæ sunt contra motum ab æterno fluentem supponunt dari in motu aliquam partem priorem omnibus, vel aliquam illius partem, quæ ab æterno fuerit, quod ego nego, implicat enim manifestè partem aliquam priorem omnibus aliis immediate successiue fluentibus esse ab æterno, ut rectè probat obiectio, quia sicuti pars immediata ab æterno non est, quia habet aliam priorem, sic neque pars prior, quæ tantum excedit aliam immediate fluentem parte temporis finita. Secundò, ut rectè probat obiectio, quod ab æterno est per æternitatem durat, & ita si pars aliqua ab æterno esset per æternitatem durasset, & motus non habuisset partes successiue fluentes per æternitatem. Respondeo ergo argumentum tantum probare nullam partem motus fuisse ab æterno, quod ego concedo, nego tamen motum non fuisse ab æterno, quia etsi quælibet illius pars fuerit in tempore, ante illam potest assignari alia prius tempore existens, & sic in infinitum alia, & alia prior, ratione quorum motus ab æterno dicitur esse.

5 Instant recentiores: Implicare motum esse ab æterno, & aliquid illius ab æterno non fuisse, quod sic probant. Si motus fuit ab æterno verum erit dicere Deum non fuisse prius tempore, motu, vel ergo est verum dicere Deum non fuisse prius quam omnes partes motus, ita ut nulla sit posterior Deo, vel est verum dicere aliqua parte priorem non fuisse: vtrumque manifestè implicat. Ergo. Implicare Deum non fuisse priorem omnibus partibus, ita ut nulla sit illo posterior manifestum est, quia hæc pars motus habet aliam partem priorem tempore, sed Deus coexistit omni parti temporis: ergo coexistit parti priori alia: ergo est prior illa, quæ partem priorem habet coexistentem Deo, implicat enim coexistere alicui,

quod est prius alio, & non habere eandem temporis prioritatem respectu illius. Secundò vtramque partem dilemmatis implicare nos supra concessimus, & probauimus, quia statim implicare partem aliquam ab æterno: ergo implicat dari partem aliquam qua Deus non sit prior, si ergo implicat dari vnam partem motus, quæ Deo non sit posterior, potiori ratione implicabit dari motum cuius nulla pars sit posterior Deo: ergo implicat Deum non esse priorem aliqua parte motus, & implicat non esse priorem omnibus partibus motus, & consequenter non esse priorem toto motu collectiue sumpto, & motum non esse posteriorem Deo, quod componi non potest cum motu ab æterno existente, quia si motus esset ab æterno, neque Deus prius durasset. Respondeo dato motu ab æterno verum esse Deum non fuisse priorem tempore motu, quod verificandum non est de aliqua parte, respectu cuius Deus non fuerit prior, neque de omnibus partibus, ita ut nulla pars sit posterior Deo ut intendit argumentum, sed verificandum est de omnibus partibus collectiue sumptis, quibus omnibus hoc modo sumptis Deus non esset prior, licet fuisset prior quacumque illarum, quia in quacumque mensura durationis Deus consideretur habet partem motus sibi coexistentem, quod si Deus prior fuit illa parte motus ratione aliis mensuræ extrinsecæ, in qua existit, in illa mensura habuit aliam partem coexistentem, quæ similiter Deus fuit prior in alia mensura, sed in illa alia habuit aliam partem motus coexistentem, & sic in infinitum, si motus fuisset ab æterno, Deus haberet alias, & alias partes motus sibi coexistentes, quarum singulis seorsum sumptis Deus prior esset, non tamen prior omnibus illis collectiue sumptis, quia non posset aliqua mensura assignari, in qua Deus non haberet partem motus sibi coexistentem. Idem contingit in diebus imaginariis, quæ in æternitate contemplantur, quibus omnibus simul sumptis Deus non fuit prior, quia Deus non fuit prior tota æternitate collectiue sumpta, tamen prior fuit quolibet die æternitatis, quia ante quemlibet diem fuit prior alius, cui Deus coexistebat. Id, in quo multi offendunt, videlicet implicare motum ab æterno, & nihil illius ab æterno fuisse, neque habere partem aliquam ab æterno existentem fallum est, neque potest obici, si natura motus ab æterno existentis sit inspecta, potius enim de conceptu essentiali, & quiditatiuo motus ab æterno existentis est non habere aliquid sui, neque determinatum, neque indeterminatum ab æterno existens, quod sic probat. De conceptu motus ab æterno existentis est nullam habere partem determinatam, aut indeterminatam proportionalem vel aliquotam, qua non sit alia prior, sed omnis pars quæ habet priorem aliam est in tempore, & non ab æterno: ergo de conceptu motus ab æterno est non habere partem, quæ sit ab æterno, & quæ non sit in tempore. Ex hoc inferes omnem partem motus ab æterno existentis distributiue sumptam essentialiter esse in tempore, quod syllogismus iste demonstrat: Omnis pars motus existentis ab æterno habet aliquid prius existentis videlicet aliam partem, sed omne, quod habet aliquid prius existentis est in tempore: ergo omnis pars motus existentis ab æterno est in tempore. Maior est certissima, quia de ratione motus ab æterno existentis est non habere partem priorem omnibus, sed ante quamlibet assignatam dari aliam, & aliam: minor est inconcussa apud omnes, nihil enim ab æterno existens potest esse posterius aliquo. Consequentia est deducta in syllogismo perfecte in Barbara constructo. Ex his inferes quam malè communiter arguitur: motus est ab æterno: ergo aliqua pars illius est ab æterno, cum potius inferatur, motus est ab æterno: ergo nulla est pars illius, quæ non habeat aliam priorem: ergo nulla est pars illius, quæ sit ab æterno: ergo omnis pars illius est in tempore.

Hoc argumentum, quod in partibus motus conficimus adducit Arriaga in durationibus infinitis successiue fluentibus, quas haberet entitas permanens ab æterno existens in opinione, quæ durationes has admittit, quarum vna prior aliâ videtur esse concedenda, quæ si concedatur, durationes ab æterno non fluxisse necessario inferetur, quod argumentum ait se scire fallax esse, quia idem fit contra æternitatem à parte post durationum beatorum, & contra cogitationes animorum, quæ per totam æternitatem durabunt, in quibus eodem modo videtur inferri concedendam esse vnam durationem, & vnam cogitationem

cogitationem posteriore omnibus, & consequenter finendas esse, quod est falsum, huius tamen argumenti fallaciam ipsum latere dicit, solutionemque penitus ignorare, & ita perfectam huius argumenti notitiam in alteram vitam, sicuti plurium aliarum rerum ref eruari nobis credendum esse. Ego tamen existimo divina fauente gratia in hac vita illius solutionem assequutum fuisse, quam iam dedi in partibus motus ab aeterno existentis, in quibus sicuti non est concedenda pars aliqua ab aeterno existens, sic in durationibus rei ab aeterno existentis, quarum collectio ab aeterno extitisset & illarum qualibet in tempore fuisset, quia aliam habuisset priorem ipsa.

7 Veget Arriaga num. 17. & 18. ex omnibus durationibus quas habuisset entitas ab aeterno existens debet dari aliqua prima omnium: ergo durationes illae non fuerunt ab aeterno. Probat antecedens: non omnis duratio habet aliquam priorem se: ergo datur aliqua, quae sit prima. Hoc antecedens eandem habet difficultatem cum posito in primo enthymemate, id est adhuc formaliter ab illo non differt, ideo illud iterum probat Arriaga: Impossibile est, ut omnes durationes habeant aliquam priorem se, quae sit numero omnium, quia sicuti non possunt omnes homines dependere ab uno homine, quin detur mutua causalitas, ita non possunt omnes durationes antecedere ab aliqua in se ipsis inclusa, cum repugnet mutua antecessio durationum: quae debet esse aliqua, quae non anteceditur ab aliis, & illa erit omnium prima. In hoc ultimo discursu subiectum argumentationis variat Arriaga, quia intendebat probare dari aliquam durationem omnium primam, & non quamlibet distributivae sumptam habere priorem aliam, & modo probat omnem collectionem durationum, seu omnes durationes collectivae sumptas non habere aliam priorem ipsis, quod verum est, & efficaciter probat ratio facta, quia ante omnem collectionem durationum non potest dari alia prior, etsi daretur collectio illa ab aeterno non fuisset, danda tamen debet ante omnem durationem distributivae sumptam aliquam durationem, quam non dari argumentum adductum non probat, & probandum esset, ut probaretur dari aliquam durationem omnium primam. Iterum ad subiectum questionis redit Arriaga, intenditque probare non quamlibet durationem habere aliam priorem se, sumptis omnibus durationibus, quas habuisset usque ad hoc instans entitas ab aeterno existens. Sic arguit: Ex his durationibus plures sunt, quae subsequuntur, quam quae antecedunt, quia haec ultima subsequitur, & non antecedit: ergo non quilibet subsequens potest habere aliam antecedentem, sed aliqua subsequens debet remanere sine antecedenti, quod est intentum argumenti, vel una duratio debet immediate duas antecedere, quod est impossibile, quia post unam durationem non possunt duae immediate succedere, alias haec duae sibi coexistenter. Hoc eodem argumento usus est Arriaga ad probandum dandam esse in speciebus rerum possibilem aliquam omnium perfectissimam, quia annumerando ab specie hominis omnes alias perfectiores sunt plures excessu, quam excedentes, quia species hominis exceditur, & non excedit, & reliquae exceduntur, & excedunt. Ex quo inferebat dandam esse aliquam speciem, quae nullam haberet excedentem sibi, quod argumentum adduxi, & solui Controv. 14. Punct. 7. num. 4. ubi clarum illius solutionem inuenies, quam iterum repetere otiosum esset. Notavi iam hoc argumentum eodem modo procedere in durationibus infinitis rei permanentis ab aeterno succedentibus, & in partibus infinitis motus ab aeterno fluentibus.


8 Obicit P. Rubius, & ex illo recentiores plures, Caelum vel creatum fuit in hoc hemisphaerio, vel in alio: in quocumque fuerit creatum debuit per aeternitatem in illo durare, quia praesentia illa cum qua creatum fuit in hoc hemisphaerio (demon in illo fuisse creatum) debuit per aeternitatem durare, nihil enim productum ab aeterno potuit ab aeterno corrumpi, ut admittunt omnes, & probatum est Puncto precedenti: ergo antequam caelum in hoc hemisphaerio creatum ad aliud perveniret, transiret aeternitas, in qua in hoc permanisset. Respondeo antecedens posse inquirere de prima creatione caeli ut distincta a conservatione, an facta fuerit in hoc hemisphaerio, vel in alio, vel de creatione, ut innovente conservationem. Si inquirat de prima creatione ut distincta a conservatio-

ne, negandum est illius suppositum, quia si caelum ab aeterno creatum esset nullam haberet primam creationem, neque Deus creationem a conservatione posset discernere, ut dicebam Punct. 1. si inquirat de creatione innovente conservationem, respondeo caelum creatum fuisse in hoc hemisphaerio, & in alio, quia in mensura creationis ab aeterno, quae innoluit conservationem, & est infinite divisibilis, infinites fuit caelum in isto hemisphaerio, & in illo & in nullo absolute priusquam in alio, quia ante hanc praesentiam, quam habuit in hoc hemisphaerio, habuit aliam in alio hemisphaerio, & ante aliam habitam in alio habuit aliam in isto, & sic in infinitum, & sicuti non potest reperiri neque assignari prima praesentia, quam habuit caelum, quia nullam habuit omnium primam, ita non potest dici in quo hemisphaerio prius fuerit quam in alio, neque prius fuit in aliquo illorum.

Obiiciunt alij: Creavit Deus duo corpora gravia ab aeterno, quorum unum ita excedat alterum in gravitate, ut duplo velocius illo moveatur, si utrumque corpus ab aeterno usque ad instans fuisset motum, illud, quod motum duplo velociorem habuisset, spatium duplo maius percurrisset, & tantum esset spatium, in quo alterum excederet, quantum illud, per quod utrumque fuisset motum: sed corpus quod segnius fuit motum percurrisset spatium infinitum: ergo spatium, quo vinceretur motu alterius corporis esset infinitum, deinde esset finitum, quia inciperet ubi desineret spatium corporis, quod segnius fuit motum, & desineret in isto, quod nunc occupabat: ergo spatium illud haberet primum initiativum, & terminativum ultimum: ergo non fuisset infinitum: ergo esset finitum, & infinitum. Similiter arguitur: spatium, quo corpus velocius motum superaret aliud corpus, esset finitum, quia haberet primum & ultimum, ut modo probabam: ergo spatium, quod percurreret corpus illud quod minus velociter fuit motum, esset finitum, quia cum hoc corpus duplo velocius fuisset motum, tantum esset spatium quo aliud superaret, quantum esset illud quod aliud percurrisset. Insuper esset infinitum, quia fuisset ab aeterno: ergo esset finitum, & infinitum. Iuxta nostra principia argumentum hoc & alia, quae sunt ex inaequalitate velocitatis motuum ab aeterno facile solvuntur, ex quibus respondeo: omnem motum ab aeterno fluentem per aeternitatem esse summè velocem, quia omnis motus nullà morà interruptus est summè velox, ut dicebam Controvers. 17. Puncto 9. §. 3. motus autem ab aeterno productus per aeternitatem interrupti non potest, quia quidquid est ab aeterno per aeternitatem debet durare, ut saepe dixi, & consequenter non interrupti, quia interruptio est cessatio motus, & non esse illius. Ex hoc infero omnes motus ab aeterno existentes necessarii fore aequè veloces per aeternitatem, quia omnes essent summè veloces per aeternitatem, & in motibus summè velocibus non potest esse maior, aut minor velocitas. Possent autem motus, qui ab aeternitate durassent a quocumque tempore assignabili habere maiorem, aut minorem velocitatem, quia ab illo usque ad hoc instans possent morulis interrumpi, in aeternitate autem praecedente quodcumque assignabile tempus, semper essent summè veloces, & unus alio velocior esse nequiret.

Ultimò obiiciunt recentiores: si Deus infinitos dies produxisset, singulae horae, ex singulis diebus desumptae essent infinitae, & finitae: consequens innoluit contradictionem: ergo & antecedens: Consequentiam probant. Designet Deus ex singulis diebus singulas horas, quas ab hoc instanti continuas, & successivè mente consideret versus aeternitatem elapsam: haec horae non poterunt aequare dierum aeternitatem praeteritam, quia tot essent horae, quot dies, & quilibet dies longè excedit horam sibi respondentem: ergo cognosceret Deus dies aliquos in aeternitate praeteritos, quibus nulla hora responderet si absque vlla interruptione usque ad hoc instans continuè fluxissent illae horae duratione requisita ut omnes illae horae continuè & successivè usque ad hoc instans pertingerent: ergo omnes horae essent finitae, quia haberent dies priores ipsis, quibus nulla correspondebat hora: ergo a parte antea essent finitae, similiter essent finitae a parte post: ergo essent finitae haec horae tum a parte antea, tum a parte post, & consequenter illarum multitudo non excederet numerum finitum. Deinde essent infinitae, quia tot essent horae, quot dies in tota aeternitate

nitare præcesserant, sed præcesserunt infiniti dies: ergo horæ essent infinitæ, sicuti infinita essent capita, quæ essent in multitudine infinita hominum, quorum quilibet suum haberet caput: ergo dies illi essent finiti & infiniti. Hoc argumentum expendi Controuers. 14. punct. 5. num. 11. ubi illud adduxi contra multitudinem infinitam Angelorum, ad inferendum fore finitos, & infinitos Angelos creatos per totam æternitatem per singulos dies, quia si postea hi Angeli horis continuis ab hac hora per horas immediatè præcedentes responderent singulis horis, singuli Angeli responderent horis finitis, & infinitis, quod eadem omnino infertur ratione, quam modo adducebam, ibique respondi Angelos ita per æternitatem in singulis diebus creatis non posse adhuc mente singulis horis continuis hanc immediatè præcedentibus affigi. Eadem ratione dico modo singulas horas ex singulis diebus elapsis non posse adhuc mente cognosci immediatè & continuè ante hanc horam fluentes, quia ita præcessisse repugnat. Huius doctrinæ expeditam rationem inuenies loco citato.



CONTROVERSIA XX.

De impulsu, seu proiectorum motu.

DE motu locali in communi egi lib. 4. de motu progressiuo non nihil dicendum est in Anima; de motu grauium & leuium in Generatione; de proiectorum motu, hic agendum est, ut opus hoc integrum vndeque euadat. Inquirendum est an impulsu impresso proiecta moueantur, eademque instituitur Controuersia de natura impulsus, & de proiectorum motu.

PUNCTUM PRIMVM.

A quo moueantur proiecta.

I Corpora proiecta à se non moueri nullus ambigit, mouentur enim contra internum imperum motu violento, nullus autem motus violentus potest à principio intrinseco dimanare: omnia enim, quæ à principio intrinseco procedunt naturalia sunt, & non violenta, neque ullus inuenietur adeo amens, ut serio affirmeret glandem æream à bombarda dimissam propria virtute per aëra tranare, & parietes euertere. Quam igitur externa vi proiecta moueantur dubium est, cum vi illorum motus peragatur.

2 Pater Pereira lib. 54. Physicæ, cap. 5. consequenter defendit cum Simplicio, Auero, Maiore, & Mairone, apud P. Rubium postea citandum, proiecta primo moueri à proiciente immediato, & postea à medio siue hoc sit aër, siue aqua, siue quoduis aliud corpus, nulla alia qualitate in corpore proiecto producta. Opposita sententia communis est valde inter Philosophos, & Theologos, illam defendunt P. Vasquez 1. part. disp. 92. cap. 2. P. Soar tom. 2. Metaph. disp. 35. sect. 4. P. Rub. tract. de impulsu quæst. 1. & alij quam plurimi afferentes proiecta moueri media qualitate superaddita impressa à proiciente, quæ impulsus dicitur. Probandum est dari hanc qualitatem ex illius necessitate, quam conuincit impotentia aliorum agentium ad mouenda proiecta, hanc ego sic ostendo. Proiciens immediatè per se ipsum impotens est mouere lapidem per spatium distans à proiciente, tum quia cum lapis mouetur in spatio distanti proiciens nihil in agit medium: ergo non potest agere in lapidem distans, aliàs ageret in distans, quin ageret in propinquum, tum quia si immediatè postquam homo lapidem iaciat emoriatur, lapis mouebitur: ergo non mouetur à proiciente, quod iam in rerum natura non est, de hoc nemo prudens dubitauit.

3 Proiecta non moueri in secundo & vltioribus instantibus motus post primum, in quo auctores oppositæ sententiæ defendunt moueri à proiciente ab aëre aliòve corpore intermedio, hac ratione nonnulli probare intendunt. Lapis proiectus aut mouetur aëre, seu medio, quod est ante, seu aduersum, aut medio, quod est à tergo, seu auer-

sum: non aduerso, quia hoc potius impedit motum, non auerso, quia prius natura, quam moueatur medium auersum ad replendum vacuum supponitur iam proiectum motum: ergo nullo medio potest proiectum moueri. Facile quisque dicit duplicem esse motum, vel esse distinctas partes motus, primam productam esse à proiciente, & hanc esse priorem natura motu aëris auersi seu existentis à tergo, secundam posteriorem natura motu aëris auersi, & ita proiciens primo mouet lapidem immediatè per suam virtutem, hic motus à proiciente productus causa est ut moueatur aër ad replendum spatium, quod lapis reliquit, motus aëris ad hoc spatium replendum iterum mouet lapidem alia parte motus distincta ab illa, quæ processit à proiciente, & causa fuit motus aëris, secunda pars motus iterum est causa aliis motus aëris existentis à tergo, ex vi cuius replet hoc secundum spatium, quod lapis reliquit, & rursus hæc secunda pars motus ad replendum vacuum causa est ut mobile iterum moueatur, & sic de reliquis partibus motus. Instant recentiores: pars aëris, quæ succedit in spatium proiecti trahitur à proiecto, à quo mouetur ne detur vacuum, quod nos tradidimus Controuersia 15. puncto 12. ergo ipsa non est causa motus proiecti. Vim illationis non percipio, quid refert proiectum esse causam motus aëris, ut aër, vel idem aëris motus productus à proiecto sit causa motus proiecti, non idem erit prius, & posterius respectu eiusdem, est enim proiectum, quod est prius respectu motus aëris, & proiecti motus qui est posterior respectu aëris, seu motus aëris: proiectum autem, illiusque motus realiter distinguuntur. Si dicas non solum proiectum, sed proiecti motum esse causam motus aëris, & ita non posse eiusdem proiecti motum esse effectum motus aëris, ne idem motus proiecti sit prior & posterior respectu eiusdem, redit solutio supra data de diuersis partibus motus proiecti, ex quibus hæc pars prima motus proiecti est causa primæ partis motus aëris, & pars prima motus aëris est causa non primæ partis motus proiecti, quæ est posterior, & à qua dependet, sed secundæ partis motus proiecti, à qua hæc pars motus aëris nullam habet dependentiam, & sic de aliis.

Arguunt secundò. Proiciens adhuc in primo instanti, in quo proicit corpus, tantum est applicatum partibus immediatis proiecti, sed non tantum mouet partes immediatas, sed mediatas: ergo non illas mouet immediatè per suam entitatem, quæ partibus mediatis proiecti applicata non est. Si illis obicias inferri ex hac ratione non posse adhuc medio impulsu moueri proiectum à proiciente, quia sicuti applicatum non est ad mouendam partem distantem proiecti motu locali per productionem præsentiam, eodem modo applicatum non est ad mouendam eandem partem motu alterationis per productionem impulsus. Respondent impulsus esse productum aliis impulsus, & ita partem impulsus productam in parte immediata proiecti inuare proiciens ad producendum impulsus in parte alia remota, cui applicatur proiciens ratione impulsus producti in parte propinqua, qui simul cum proiciente concurret per modum principij actiui ad producendum impulsus in secunda parte proiecti, cui est immediatum agens adæquatum constitutum ex proiciente, & ex impulsu in prima parte producto, à quo principio adæquato indiuisibiliter sumpto procedit impulsus. In motu locali immediatè à proiciente producto non ita se res habere possunt, quia præsentia producta in prima parte proiecti non est productiua aliis præsentia, & ita non potest inuare proiciens ad producendam præsentiam in secunda parte proiecti. Ex hac ratione inferunt prædicti recentiores non solum producendum esse impulsus à proiciente in motu projectionis, sed etiam in motu vctionis, lecompressionis, & aliis huius generis. Quia non possunt res diuisibiles moueri, nisi motis omnibus partibus vnitis, sed agens per se non est præsens omnibus partibus: ergo debet esse præsens per virtutem ab illo productam, cuius partes proximiores effectiue concurrant cum agente ad producendas distantes, ratione quarum principium adæquatum actiuium semper erit passo immediatum. Probauit Contr. 7. punct. 2. agens posse agere in passum distans dum agit in propinquum, etiam si non adiuuetur effectus productus in passo propinquo, ex qua doctrina infringitur recentiorum ratio: alia ergo solidior reddenda est.

Sentio à posteriori probari, proiecta non moueri ab aëre, quia si ab aëre mouerentur, omnia corpora eiusdem rationis per

per eundem aërem mota eadem velocitate mouerentur, quia causa motus esset eadem & eodem modo applicata: ergo nulla posset assignari ratio, propter quam hoc corpus velocius, & illud tardius moueretur, vel cur idem proiectum modò tardè postea velociter per eundem aërem ciceretur. Secundò nulla posset assignari ratio, car motus lapidis ascendens sursum ad tantam distantiam deficeret, & cælum non tangeret, eadem enim est vis agentis in fine motus, vt lapidem impellat sursum, quæ erat in medio motus, quia semper lapis ascendens sursum à parte inferiori spatium relinquit occupandum ab aëre: ergo semper partes aëris accedentis ad spatium illud replendum virtutem habebunt mouendi sursum proiectum, neque potest dici virtutem esse defatigatam in fine motus, quia cum semper diuersæ partes aëris succedant in spatium relictum à lapide ascendente sursum, semper noua succedet virtus ad motum proiecti sursum protendendum, neque minores vires habent partes, quæ accedunt in fine motus, quam quæ initio accesserunt, & ita eodem modo omnes proiectum sursum impellent. Vltimò qui fieri potest aëre vehementissimè flante versus Orientem globum tormentarium ferri versus Occidentem eo impetu explosum vt demolitur vrbes, muros quasset, & vniuersa subuertat: Vnde tanta vis aëri: quod si illa gaudet, quomodo dum rapidissimè perflat maiori quidem vi, quam dum à me mouetur lapis, hunc supra murum positum non remouet. Videmus enim quocumque impetu aër cieatur lapidem statim in terram corruere, si impulsus à proiciente antea applicato non receperit.

6 Concludo ex his proiecta non posse moueri à proiciente, dum ab illo distant, neque ab aëre & ita necessariò dicendum esse moueri qualitate quadam impressa à proiciente, quam impulsus vocamus. In motu vectiois, tractionis, & compressionis censeo necessum non esse impulsus imprimi à vehente, trahente, seu comprimente corpus, sed posse immediatè lapidem in manu detentum moueri ab homine qui prius natura moueatur, quam lapis ab illo motus ne agens agat in distant, quod explicui Contr. 18. puncto 3. ratio fit, quia ex defectu applicationis non obstat, vt dicebam modò. Deinde videmus lapidem supra caput vectum tantum moueri dum mouetur caput vehentis, ex quo infero non moueri medio, impulsu quia si moueretur medio isto, in hoc instanti lapis impulsus recepisset, ex vi cuius moueretur in sequenti, etiam si quiesceret viuens, à quo modò vehitur, sicuti contingit in motu proicientis. Scio te posse respondere impulsus impressum à vehente esse talis naturæ vt corpus non moueat, nisi dum mouetur vehens, à cuius motu dependet in sua operatione, vel depèdere à motu vehentis in conseruari & ita quiescenti vehenti perire impulsus vectiois, & lapidem vectum non moueri. Vtrumque sine fundamento dicitur, & non sine magnis difficultatibus illas breuiter attingam. Impulsus vectiois vel est causa adequata motus, vel inadæquata, quæ simul operetur cum motu vehentis: si adequata: ergo non dependet in sua operatione à motu vehentis tanquam à comprincipio, neque tanquam à conditione, quia motus vehentis neque pertinet ad principium actuum, aut passiuum motus vectiois, quia principium actuum est impulsus impressus lapidi, & passiuum lapis vehendus: ergo non potest esse conditio ad motus vectiois, omnis enim conditio est circumstantia principij actiui, vel passiu effectus ad quem est conditio. Si impulsus vectiois dependet in operari tanquam à comprincipio inadæquato à motu vehentis, superflue tot principia constituuntur respectu motus vectiois, quia posset adequatè dependere à motu vehentis, si ab illo inadæquatè dependet: ergo dici nequit impulsus vectiois dependere in operari à motu vehentis. Non sine magna difficultate dici posse impulsus hunc dependere in conseruari à motu vehentis, sic probo. Motus vehentis ex vi cuius constitutum est in hoc spatio terminatio motus, in instanti sequenti, etsi non perseveret secundum hanc denominationem motus, perseverat secundum eandem entitatem, quia perseverat eadem actio terminata ad eandem præsentiam: ergo perseverat totum physicum, quod includebat motum præteritum, & tantum deficit denominatio motus: sed impulsus vectiois non poterat dependere à denominatione, sed tantum à physica entitate motus: ergo perseverat totum illud, à quo dependebat impulsus in instanti, in quo vehens per motum acquisiuit hoc spatium: ergo etiam impulsus

Franc. de Quiedo, Philoſoph. Tom. I.

dependeret in conseruari à motu, permaneret dum quiescit vehens, quia permaneret totum physicum motus, à quo poterat impulsus dependisse in instanti, in quo fuit primò productus, & in quo erat denominatio motus. Vltimò si vehens moueret corpus vectum medio impulsu non illud posset mouere in primo instanti in quo mouetur ipsum vehens, quod sic probo. Vehens primò produceret impulsus vectiois in primo instanti, in quo mouetur: sed in primo instanti, in quo impulsus produciatur ab agenti naturali, non potest ex vi illius impulsus moueri corpus illum recipiens: ergo in primo instanti, in quo mouetur vehens non potest medio impulsu in illo instanti producto mouere corpus. Maiorem propositionem omnes concedunt, corpus enim vectum siue mediatè, siue immediatè semper mouetur dependenter à motu vehentis, vt admittunt omnes: minorem probauit Controu. 18. punct. 3. Consequentia est omnino certa.

7 Mens Philosophi circa existentiam impulsus adhuc in proiectis dubia est, videtur enim in contrariam sententiam inclinasse. Sic habet hoc lib. cap. 10. text. 82. *Necesse est enim hoc quidem dicere id, quod primum mouet, efficere, vt aër, aut aqua, aut aliquid huiusmodi, quod moueri, mouereque aptum est possit mouere.* Quibus verbis docet Philosophus, ita projectionem mouere medium, vt prima pars aëris proximam moueat, & hæc aliam. Rursus lib. de insomniis cap. 2. sub initium: *Etenim quæ lationem subeunt, eo quod propulsi non amplius tangent cientes. Quod mouendi officio functum est, quandam aëris particulam propulsi, quæ cum mouetur subinde aliam ciet, atque hoc ritique pacto donec quiescant, moueri aër, & aqua solent.* Idem tradit in questionibus mechanicis, nam questione 33. cum interrogasset cur motu quiescenti concitaretur proiectum, respondet: *An videlicet quoniam primum id efficit vt alterum impellat, illudque rursus vt alterum. Cessat autem quando non potest amplius facere primum impellens, vt impellat id, quod fertur: & quando ipsius lati grauitas nuda suo decinat magis quam impellentis in ante sit potentia.* Additque sæpè cessaturum motum in vacuo, quia non esset aër, qui motum concitaret. Respond. hæc omnia testimonia ad summum probare aërem à tergo proiecti succedentem ad vacuum replendum aliquo modo iuuare ad motum illius quod concedere non recusabo, modò proiecti motus non tribuatur aëri à tergo impellenti tanquam principio adequato, nullumque indicare impulsus superadditum concedendum non esse, quem videtur Aristoteles concessisse in hoc lib. cap. 10. text. 82. ubi sic habet: *At non simul moueri desinit, & mouere, sed simul atque is, qui mouet mouere desinit, desinit moueri. Quocirca aliud mouet, quod heret: cuius eadem est ratio, cessat autem vis mouendi in id, quod heret minor imprimitur.* Quibus verbis annotandum est Aristotelem concedere vim impressam, & herentem mobili, quæ vis distincta est à vi, seu virtute, quam habet proiciens, seu aër medius, quia virtus horum mobilis non heret, & nulla alia esse potest præter impulsus à proiciente impressum.

8 Circa impulsuum distinctionem, patet impulsus, ex vi cuius corpus mouetur sursum distinguì à grauitate, & impulsus ex vi cuius mouetur deorsum à leuitate distinguì, penes diuersos terminos, quos respiciunt, & diuersum modum mouendi corpora. De impulsu mouente corpus deorsum eodem modo dicendum est distinguì à grauitate, & similiter eadem distinctio tribuenda est respectu leuitatis impulsui, ex vi cuius corpus sursum mouetur. Infero ex principiis aded aduersis à quibus procedunt impulsus deorsum, & grauitas, atque impulsus sursum, & leuitas, grauitas enim & leuitas semper consequuntur certam naturam corporum, & si à substantiis distinguuntur ex qualitatibus temperatura, impulsus autem semper à principio extrinseco procedit, neque diuersas dispositiones exigunt ex parte passi impulsus sursum, & deorsum, sicuti exigunt grauitas, & leuitas. Impulsus respicientes terminos oppositos sicuti impulsus, ex vi quorum mouetur corpus sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum distinguì in specie probatur eadem ratione, quæ probatur distinguì impulsus deorsum à leuitate, nam est motum esse sursum, vel deorsum extrinseca sit denominatio, principium tamen, ex quo semper motus sursum procedit specie distinguuntur à principio, ex vi cuius motus deorsum nascitur, hæc enim differentia, quæ in motu est extrinseca nascitur ex differentia extrinseca & speciali natura principij.

11 De

De impulsibus respicientibus eundem numero terminum ex diuersis spatiis & consequenter per aduersas lineas, difficultas est an intrinsecè distinguantur: multi affirmatiuum tenent sententiam; ego in negatiuum propendeo, quia sicut eadem grauitas, & leuitas ex diuersis spatiis per diuersas lineas semper per breuissimam tendunt in proprium centrum, sic idem impulsus semper in determinatum terminum tendit semper per lineam rectam, diuersam tamen ratione diuersi spatij, à quo tendit mobile, ex eo quod diuersum terminum à quo habeat motus respiciens eundem terminum, ad quem debet tendere per diuersam spatij lineam. Itaque ex vi eiusdem impulsus, ratione cuius mouetur corpus ab spatio sursum per hanc lineam moueretur per aliam, & in eundem terminum si mobili existenti in alio spatio idem contigisset impulsus, neque necessum est distinctos secundum prædicatum intrinsecum impulsus constituere, pro omnibus motibus respicientibus distinctas spatij lineas, etiam in eundem terminum destinatas. In hac re fortiores rationes non inuenio, neque illius materia grauiore alias desiderat.

PUNCTVM II.

A quo producatur, & corrumpatur impulsus.

Iuentia sensitiua habere virtutem imprimendi impulsu corporibus infertur ex motu projectionis, quem probauimus puncto præcedenti fieri medio impulsu producto à proiciente. Difficultas est an in viucentibus distinguatur potentia, à qua procedit impulsus, ex vi cuius mouent corpus extraneum à potentia locomotiuam, ex vi cuius ipsa animalia se mouent. In opinione, quæ potentias ab anima non distinguit, difficultas hæc locum non inuenit, quia potentia realiter cum anima identificata necessario inter se ideitatem habent. In opinione, quæ potentias distinguit censeo realiter distingui potentiam, ex vi cuius animal se localiter mouet à potentia productiuam impulsus, quia existimo animal non se mouere per productionem impulsus in se ipso, sed per immediatam productionem præsentia. Non nego posse partem quamdam viucentis impulsu imprimere alij parti eiusdem viucentis, ex vi cuius quasi ab extrinseco moueatur pars illa, quæ impulsu recipit, sed affirmo motum progressiuum contractionis, & dilatationis non fieri ab anima medio impulsu, sed immediatè ab illa procedere, sicuti procedit immediatè ab anima rationali, & ab Angelo motus, quo rationalis anima & Angelus mouetur. Confirmatur: viucentis immediatè mouet non medio impulsu corpus, quod vehit, vt probauimus puncto præcedenti: ergo potiori ratione poterit se ipsum immediatè mouere. Potentiam locomotiuam, qua animal se ipsum mouet in viucentibus materialibus, quæ se ipsa immediatè mouent, non distinguere à potentia ex vi cuius motus vectionis immediatè procedit ab animali, quia termini potentiarum non distinguuntur neque ex modo tendendi, neque aliquam habent radicem essentialis distinctionis, immanentia enim, quæ conuenit motui locali respectu primi motus omnino est extrinseca termino motus, & omnino extra illius existentiam, æquè enim benè producit hæc præsentia, quam modo habeo à me immanèter vel ab alio quocumque extrinseco transcurrenter. Similiter dicendum est quantitatem habere virtutem imprimendi impulsu. Ratio est quia cum quantitas impenetrabilis sit, virtutem habet remouendi à loco corpus occupans spatium immediatè ab illa occupandum, & resistendi alij corpori, ne cum illa penetraretur, quod sit medio impulsu impresso corpori intendenti se penetrare, quod manifesta experientia monstrat præcipue in motu resistentia.

Hic inquiri solet an corpus debeat se mouere, vt impulsu alij corpori imprimat. Respondeo necessum non esse corpus actu moueri vt impulsu corpori imprimat, vt patet in lapide, qui semper humeris impulsu imprimit, etiam si immotus super humeros subsistat. Necessum tamen est corpus intendere se mouere versus aliquam partem, vt impulsu imprimat, quem imprimit necessario tendentem, in partem illam, in quam motus imprimendis impulsu dirigebatur. Hac ratione lapis æquè vndeque immotus impulsu imprimat terræ, cui innititur, & non partibus aeris lateralibus, vel aëri, quem supra se habet.

Circa corruptionem impulsus docuit Pater Valquez 2. disp. 21. cap. 3. impulsu semper corrumpi à contrario, nam cum lapis per impulsu sursum ascendit, producit quamdam grauitatem, mediā quā impulsu sibi ab agenti extrinseco violenter impressu corrumpit. Circa impulsu, quo lapis deorsum descendit, qui non opponitur grauitati essentiali, aut accidentali, quia in eundem terminum lapidem mouet, tradit ex Archimede Mathematicorum Principe terram esse ex vtraque parte æquè ponderibus librata, ita vt duplex sit assignandum centrum, vnum vniuersi, grauitatis aliud. Centrum vniuersi est illud, à quo æquales lineæ ad terræ superficiem duci possunt, centrum verò grauitatis est punctum illud, quod ita diuidit terræ partes quoad grauitatem, vt terra ex nulla parte magis in vnam quam in aliam grauetur, sicuti in bilance centrum grauitatis est punctum illud examinis, quod ita bilancem discernit, vt neutra pars aliam grauitate superet: tunc ergo quiescit terra, cum centrum grauitatis centro vniuersi corresponderet. Si verò in terra æquè vtriusque librata aliquis impulsu in hac parte imprimat, terra ex illa parte magis ponderatur, & extrahitur centrum grauitatis à centro vniuersi per motum, quo terra deorsum descendit secundum illud latus, in quo impulsu recepit, & ascendit sursum per aliud latus, sicuti in bilance contingit. Postea verò cum in se locum proprium, restituit, corrumpit impulsu receptum, ex vi cuius terra à proprio centro fuerat extracta.

Doctrinam hanc contra sensum euidentiam tradi multi clamitant, verumtamen nec leuem coniecturam contra illam experientia exhibere valebit. Motus enim, vt sæpè dixi non percipitur nisi per distantias corporum, & diuersa corpora interiacentia, qui si fiat his distantis ex motu non accrescentibus, nunquam percipietur, vt contingit in motu naui, quem non percipit, qui intra illius cameram inclusus fertur. Cum ergo si vniuersus moueretur orbis eo modo, quem tradit Archimedes omnia in illo contenta æquè mouerentur, & æquè distarent, & nullum esset principium, ex quo illius motus sensibus percipi posset, neque illum hic & nunc contingere posse experientia discerneremus: malè ergo infertur motum hunc admittendum non esse, quia nunquam sensibus percipitur. Grauiora sunt alia, quæ huic vniuersi motui refragantur, nonnulla expendo. Motus hic vniuersus proueniens ex impulsu violentus esset, & contra interuam impetum totius vniuersi, omnibus enim illius partibus esset violentus, tam illis, quæ deprimuntur, quam aliis, quæ eleuantur, omnes enim extraherentur à proprio grauitatis centro: ergo non potest prouenire à quocumque impulsu. Probo consequentiam: impulsu à me impressus non potest vincere grauitatem mediocri saxi, neque illud mouere versus aliquam partem: ergo non poterit vincere grauitatem totius mundi, illumque totum commouere. Respondebis diuersam esse rationem, quia mundus est ex vtraque parte æquè libratus, & ita potest quocumque illo impulsu commoueri, sicuti in bilance æquè librata, etiam si vtraque ingens sustineat pondus, potest tritici grano huic lanci appposito moueri. Contra: cum lances, quæ æqualiter erant librata leui pondere superaddito mouentur, lanx, quæ deprimitur mouetur motu naturali, & pondus superadditum non vincit resistentiam lancis depressæ, sed totum pondus, quod antea erat in lance depressæ, & illud, quod denuo superadditur naturaliter sursum descendunt, & vincunt resistentiam aliis lancis, quam semper intendit vincere, & deorsum descendere lanx, quæ modo deprimitur motu naturali, quam antea non fuerat consequuta, quia æqua erat opposita lancis resistentia, cum conatu, quem ipsa habebat ad descendendum deorsum: itaque lanx depressa naturaliter mouetur, & lanx eleuata violenter contra propriam resistentiam, quæ vincitur antiquo pondere, quod lanx habebat, cum vtraque erat æquè librata, & alio, quod denuo fuit additum eidem lanci depressæ, & mirum non est pondus aliquod quantumuis maximum vinci alio æquali adiuto leuissimo. In motu autem vniuersi, quem adhibuit prædictus dicendi modus tota terra violenter mouetur, & impulsu impressus huic parti, quæ deprimitur, victurus est resistentiam partis terræ eleuata, & partis depressæ, neque pars depressa iuuat impulsu vt vincat resistentia partis eleuata, imò potius resistit, ne altera eleuetur, quia sicuti resistit, ne ipsa descēdat, ita resistit ne altera ascendat: ergo resistentia totius

totius terræ adæquatè vincenda est impulsu à me impresso, hoc autem quis admittit? quomodo dici poterit me vincere totius mundi resistentiæ exiguo impulsu digito impresso, qui non possum totis viribus saxum non pergrande commouere. Secundò, demus impulsu æquè intensum simul imprimi in vtraque parte terræ, tunc terra non mouebitur, sicuti non mouentur lances cum vtrique æqualis impulsus imprimitur: ergo impulsus illi corrumpi non poterunt. Tertiò, si inæquales sint impulsus in vtroque terræ latere impressi, & deprimitur terræ latus, quod intensiore impulsu recipit, cum hic successiue corrumpendus sit, cum fuerint corrupti gradus, quibus impulsus iste superabat impulsu in alio latere impressum, & vterque maneat æquè intensus, terra quiescet, & nulla erit causa, à qua impulsus illi æquè intensi corrumpantur. Mitto alia, quæ contra hunc dicendi modum expendant recentiores, ne in re non grauis momenti latius, quam par est disputatio protendatur, tantum assero magnam esse vniuersi iacturam totum commoueri ad exiguum interimendum impulsu.

Defendant alij grauitatem, & leuitatem esse qualitates superadditas non solum inter se oppositas, sed grauitatem cum impulsu intendente mouere corpus sursum, & leuitatem cum impulsu ferente corpus deorsum, & ita lapidem grauitatem amittere dum sursum fertur, quam iterum recuperat natia virtute, & media impulsu à se expellere, & iterum deorsum moueri. Similiter asserunt impulsus, ex vi quorum corpora per diuersa spacia mouentur, inter se opponi contrariè, & mutuò expelli sicuti calor, & frigus. Porro appendere non possumus lapidem, dum motu violento fertur sursum, & ita examinare non valeamus an grauitatem amiserit, verumtamen alii nobis argumenta suppetunt ad hanc sententiam impugnandam. Primum est: Grauitas in corpore conducit, vt in illo recipiatur impulsus, quo corpus sursum mouetur: ergo grauitas non opponitur contrariè cum hoc impulsu. Antecedens experientia monstrat, vix enim impulsus aliquis imprimi potest in stupa, aliòve corpore leui, quo sursum moueatur, & valde intensus minori conatu imprimitur in lapide aliòve corpore graui. Consequentiam probò. Nulla forma potest conducere vt introducat in subiecto, in quo est alia forma ipsi contraria: sed grauitas conducit, vt in subiecto, in quo est introducat impulsus, de quo agimus: ergo non illi contrariè opponitur. Maiorem probò: forma contraria exigit ne opposita introducat in subiecto, in quo est, & illius introductioni resistit: ergo non potest conducere vt introducat, id enim, quod resistit introductioni, & illam impedit, nullatenus ad illam potest conducere. Dices ad impulsu recipiendum tantum conducere grauitatem in certo gradu, & in maiori alio non conducere, sed potius impedire illius receptionem, ex quo inferitur grauitatem esse contrariam impulsui, siquidem quando est nimis intensa resistit illius introductioni, quod autem secundum gradus alios remissos non resistat, non arguit qualitatem hanc non esse contrariam impulsui, quia frigiditas contrariè opponitur cum calore, & tamen non resistit secundum quoscumque gradus introductioni caloris. Contrà: quo subiectum minus habet frigiditatis, facilius, intensiusque calor in illo introducit, & nunquam gradus quantumvis remissus frigiditatis potest conducere positiue, vt introducat alius gradus valde remissus caloris, & sic de omnibus aliis formis contrariis: ergo si impulsus, & grauitas contrariè opponerentur, quo subiectum minus haberet grauitatis, facilius & intensiore impulsu reciperet, & nunquam gradus quidam grauitatis conduceret positiue ad gradum aliquem impulsu recipiendum: sed gradus aliquis grauitatis conduceret positiue ad impulsu recipiendum, vt probaui, & non facilius, intensiorque impulsus recipitur in subiecto, quo minus habet grauitatis: ergo grauitas, & impulsus non contrariè opponuntur. Secundò, ex eo, quod non possumus corpus nimis graue mouere non inferitur corpus impulsui resistere præ nimia grauitate, neque illum non recipere, sed impulsu receptum non esse sufficientem ad mouendum corpus illud. Sed esto: non posset recipere impulsu, hoc non proueniret ex intentione grauitatis, non enim intensiorem grauitatem habet ingens saxum, quam exiguus lapillus ab illo abscissus, sed extentiorem per plures subiecti partes.

Hac ratione efficacissimè reicitur hæc sententia, cui ad-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

iunge illius auctores non inuenisse impulsus contrarios, quibus corrumpantur reliqui omnes, quos ego possum corpori imprimere, cum enim illis obicitur impulsu, quem modò pede terræ imprimo, vt moueatur deorsum, non opponi cum grauitate, & ita non corrumpi ab illa. Respondent: inconueniens non esse impulsu illum ibi permanere, & à nullo corrumpi. Ex quo inferitur quamque terræ partem retinere modò omnes impulsus, quos successiue recipit quotiescumque pedibus hominum fuit calcata, vel pondus aliud sustinuit. Videat ergo quisque quantus erit impulsus receptus in templi theatriue limine, vbi frequens accidit populus.

Dicunt alij Deum corrumpere impulsu, quia ita exigit vniuersi ordo ne detur vacuum: nescio quâ ratione vacuum daretur, etiam si nunquam corrumpetur impulsus, quem recipit corpus, licet enim perpetuò moueretur, nunquam posset extra Lunæ concauum proflire, non enim valeret quicumque impulsus calos penetrare, vel disrumpere: ergo non daretur vacuum, quantumvis impulsus corpori impressus per æternitatem duraret. Confirmatur: cum pila vehemènti intra cubiculum excutitur impulsu, semel, & iterum parietes, pauimentumve tangit & idem reperit spatium, quovisque deficiat impulsus, ergo etiam si pila perpetuò impulsu retineret, perpetuò intra cubuli spatium ciceretur, & nunquam vacuum, neque quidquam aliud contra vniuersi naturam contingeret.

Sentio cum Gabr. in 3. dist. 13. Okamo in 4. q. 12. art. 2. ad 3. P. Rub. lib. 8. Phyl. tract. de impulsu quest. 3. impulsu ex eo corrumpi quia ex se entitas est adeò exilis vt tantum petat durare per determinatum aliquod tempus, quo transacto Deus totam illius adimpleuit exigentiam, & ita vt naturæ auctor non amplius teneatur illum conseruare, & conseruatum subtrahit, non quia impulsus exigit sui corruptionem, vel quia in vltimo instanti sue durationis non habeat eandem exigentiam, quâ habuit in primo, sed quia in illo instanti iam Deus contulit totam durationem, quam per suam entitatem impulsus exigit, & ita iam ex vi illius exigentiæ non illi diuturnior debet duratio. Moueor adhuc corruptionis modum impulsibus adscribendum, quia etiam si posset per formarum impossibilitatem illorum corruptio componi, adhuc teneremur ad huc recurrere in corruptione soni, & specierum intentionaliu, quibus nulla alia corruptionis causa potest assignari, neque aliquid contra hunc dicendi modum potest adduci, quod aliquâ ingerat difficultatē in meis principiis vt ex iâ dicendis constabit.

Obiicies primò. Sunt alie entitates impulsu imperfectiores, quæ ex se perpetuò durarent, ni à contratio impeterentur sicuti durationes superadditæ in opinione, quæ illas admittit, & alij moduli imperfecti, qui diu persistunt: ergo absque fundamento dicitur entitatem impulsus statim diffuere, & resolui. Secundò animus rationalis imperfectior est Angelo, & æquè petit durare cum Angelo: ergo etiam si impulsus imperfectior sit aliis entitatibus, æquè petit durare cum illis. Respondeo hanc non esse consequentiam necessariam: hæc entitas est imperfectior illâ: ergo minorem petit durationem, non enim oritur præcisè ex quacumque minori perfectione exigentia minoris durationis, sed ex certis naturis rerum, quarum vnâ impulsui tribuimus, quia nullus alius apparet modus, quo corrumpatur, non præcisè quia imperfectior sit, exigentia enim exiguæ durationis non supponit, sed constituit imperfectionem impulsus. Adde relationes in opinione, quæ illas admittit superadditas, & alios modos perpetuò durare, quia conseruantur à causis, à quibus producantur, æquè propendentibus in illorum conseruationem ac in propriam ipsorum productionem, cum enim necessarij sunt hi modi subiectis à quibus procedunt, æquè necessariò cause in illos influunt in tota mensura conseruationis, & in primo productionis instanti.

Obiicies secundò. Gradus impulsus vel sunt æquales, vel inæquales in perfectione. Si æquales: ergo æquè petunt durare: ergo simul corrumpuntur. Si inæquales, primus gradus erit imperfectior reliquis: ergo primus gradus minorem exigit durationem, sed corrupto primo gradu deficient omnes, quia gradus inæquales subordinati sunt, quorum secundus, & reliqui superiores subsistere non poterunt: ergo omnes simul corrumpuntur: ergo in instanti deficiet totus impulsus, quod est contra manifestam experientiam, qua videmus impulsu paulatim languescere. Respondeo, gradus impulsus esse inæquales, & non

Ii 2 subor

subordinatos, non enim ex inæqualitate infertur subordinatio, ut probabo in Generat. Secundò admissa subordinatio graduum, posse gradus superiores exigere minorem durationem, quia entitas perfectior potest exigere minorem durationem, quam exigit alia perfectior. Deinde quia possunt esse gradus subordinati, quorum ultimi primis sint imperfectiores.

- II Obicies tertio. Impulsus vectiois, quem imprimo lapidi, què supra humeros porto, intensior est impulsu, quem imprimo lapidi proiecto, sed impulsus lapidis proiecti petit durare per spatium, quo possum orationem Dominicam recitare, quo non languescit impulsus: ergo impulsus vectiois totidem spatij petet durare: ergo etiam si humeros submoueam quibus lapidem vehēbam, durabit impulsus vectiois, & lapis eodem modo mouebitur, & in terram non decideret, cuius oppositum monstrat experientia. Si dicas durare impulsu sed amoto vehēti lapidis grauitate vinci, Inso: impulsus vectiois non vincebatur grauitate dum vehentis tergo detinebatur, ergo neque hoc amoto vincetur, quia grauitas lapidis non creuit, & vectiois impulsus mundum segnescere incepit. Idem argumentum in aduersarios contorqueo: Impulsus vectiois est æquè perfectus & æquè intensus, & sæpè intensior impulsu projectionis. Cur ergo ut primum amouetur vehens impulsus vectiois statim totus vincitur, aut expellitur à contraria forma, & projectionis impulsus per aliquam notabilem mensuram neque vincitur, neque expellitur. Respondeo: amoto vehenti non dici durare motum vectiois, neque per minimum instans, quia hic non procedebat ab impulsu aliquo, ut dicebam puncto precedenti, sed immediatè ab ipso vehente, quo amoto amouetur causa impulsus vectiois, & consequenter amouetur effectus.

PUNCTUM III.

Vnde proueniat maior velocitas motus violenti in medio, quam in principio, & naturalis in fine, quam in medio & principio.

- I Etiam si tantum agam de proiectorum motu, & ad me non pertineat hic examinare rationem, propter quam motus naturalis sit velocior in fine quam in principio, & medio, quia tamen hic assignanda est ratio, propter quam motus violentus sit velocior in medio, quam in principio, eademque sit ytrique difficultati communis, utramque simul inquirere, & definire placuit. Supponit quæstio motum naturalem esse velociorem in fine, quam in principio, & violentum in medio quam in fine, & principio, quod omnium philosophorum consensus statuit, & docuit Aristotel. libr. 2. De cælo, & mundo, ipsaque experientia demonstrat, qua videmus corpus graue maiorem impulsu alij imprimere in fine motus naturalis, quam in medio, & principio, & in medio motus violenti, quam in principio, & fine. Modò tamen Arriaga disputat. 4. de Generat. sect. 5. subsect. 3. rationem adductam improbat, & conclusionem negat, asseritque aliud esse corpus velocius moueri in fine motus, quam in principio, aliud intensiorem impulsu alij imprimere, in fine motus, quam in principio, neque vnum inferri ex alio, quia velocius mouetur aquila rapidissimè volans, quam lapis à me proiectus, & tamen lapis caput confringit, & aquila nihil nocebit impulsu alij corpori impresso, deinde ait nullum aliud esse caput ex quo inferatur maior velocitas motus in fine, quam in medio, ac proinde sine fundamento constitui maiorem hanc velocitatem, quam ipse negat, in fine motus, quam in medio, & principio.

- 2 Dubium non est aliud esse, corpus se mouens intensiorem impulsu in alio producere, aliud verò velocius moueri, quod nullus negabit, neque corpora mollia vehemētissimè se mouentia minorem impulsu, quam corpora dura etiam si hæc minus velociter moueantur, aliis corporibus imprimere. Hoc tamen non probat velociorem motum ex se causam non esse seu conditionem intensioris impulsus, & intensiorem impulsu non arguere à posteriori velociorem motum, experientia enim semper suadet velociorem motum cæteris paribus intensiorem impulsu committi, quia comparatione facta eisdem corporis tarde se

mouentis cum eodem se mouentis velociter sine corpus sit durū, siue molle, quo velocius mouetur, eo intensiorem producit effectum, ut patet in motu pile coriaceæ, & cuiusvis lapidis, hominisque se progressiue mouentis, qui si rapido feratur motu intensum imprimit impulsu corpori obiecto, & utrumque tunditur, si verò tardè moueatur, alij corpori obiecto remissum imprimit impulsu. Exempla, quæ in oppositum adducit Arriaga nihil probant, quia tantum comparat corpus velociter se mouens cum alio tardè se mouente diuersæ rationis, v. g. corpus molle velociter se mouens cum corpore duro tardè se mouente, in quibus, etsi maior velocitas corporis mollis ex se ad intensiorem inducat impulsu, tamen magis ad intensiorem impulsu conducit durities alius corporis, & ita excessus velocitatis motus in corpore molli excedit excessu duritiei in corpore tardius se mouente, & omnibus pensatis intensiorem impulsu producere valere corpus durum tardè se mouens, quam molle se velociter mouens. Neque Arriaga à communi sententia discedens difficultatem declinat, quia æquè difficile est assignare rationem, propter quam corpus intensiorem impulsu alij corpori obiecto imprimat in fine motus naturalis, quam in medio, & principio, ac rationem reddere, propter quam velocius in fine quam in medio, & principio moueatur, etsi hoc vltimum neget Arriaga, illius primi tenetur rationem reddere.

Qui asserunt impulsu contrariè opponi cum grauitate dicunt initio motum violentum non esse adeo velocem, proiciens corpus intensum impulsu tantum produceret in partibus proximioribus passi, quæ successiue intendunt alias partes remotiores passi, & ita successiue crescit velocitas motus dum crescit impulsu productus in corpore proiecto, postea verò cum iam partes, quæ intensum receperunt impulsu à proiciente, produxerunt totam intensiorem, quam possunt in partibus distantioribus iam non potest intensio impulsus, neque velocitas motus accrescere, sed ab illo instanti incipit deficere, quia proiectum se restituit in primam grauitatem, & impulsu amittit, quo languente incipit languescere motus, donec totus decedat impulsus, & cum illo totus motus. Hæc ratione motus proiecti velocior est in medio, quia totum impulsu recipit, & nihil amittit, quam in principio, in quo non totum receperat impulsu, & in fine, in quo deperdit successiue impulsu receptum.

De motu naturali cur velocior sit in fine, quam in medio, & principio ex aliis principiis ratio est deducenda. Docent aliqui motum naturalem velociorem esse in fine, quia iam mobile propius accedit ad centrum, ac proinde connaturalius mouetur. Si maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem conduceret velocior esset in principio motus, qui incipit ab hoc infimo loco, quam in fine motus alius, qui inceperit ab alio sublimiori loco, & desinat, in quo hic incipit, quod manifesta experientia falsum esse demonstrat, quia corpus cadens ab eminenti loco maiorem impulsu imprimit capiti, quam corpus è manu cadens imprimit terræ: ergo maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem non conducit.

P. Vázquez 1.2. disp. 81. & Conimbr. 1. de cælo, docent grauitatem lapidis in motu locali producere aliam grauitatem accidentalem diuersæ speciei à grauitate naturali, quæ tantum potest durare dum durat motus, & accrescit eadem successione qua motus producit, quia sit dependenter ab illo, proinde quo diuturnior est motus maior grauitas accidentalis producit, quæ simul cum grauitate naturali mouet corpus, velocius in fine motus, quia tunc intensior grauitas accidentalis est producta. Eodem modo dici posset in motu proiectorum impulsu impressum à proiciente producere dependenter à motu impulsu alium quasi accidentarium, qui successiue producit, & maior est in medio motus, quam in principio, & ideo velocior est motus in medio, quam in principio: in fine verò etiam si hic accidentalis impulsus accresceret, decrescit impulsu impressus à proiciente, ratione cuius languescit motus, non enim æquiualeat in ordine ad motum intensio adueniens impulsui secundario intensiori primarij deperditæ, & de eodem impulsu secundario dici potest remitti in fine motus, quia etsi plures præcesserint partes motus dependenter à quibus producit, & creuerit conditio ad sui productionem, decrescit virtus præcipua, à qua

qua producit, videlicet impulsus præcipuus, & cõditio-
nis augmentum non supplet decrementum præcipuæ virtutis.

6 Alij motum naturalem ideo esse velociorem in fine di-
cunt quia partes aëris, quæ succedunt corpori descen-
denti, motu, quo spatium relictum à corpore acquirunt,
illud à tergo impellunt, & impulsus aliquem in illo pro-
ducunt, qui augetur, dum plures partes motus præcesse-
runt, & cum illo motus velocitas. Eadem ratione de
proiectis dicitur velocius moveri in medio, quàm in prin-
cipio, quia plures gradus impulsus recipere à partibus aë-
ris succedentibus in spatio, quod mobile in singulis mo-
tus instantibus relinquit, in fine verò etsi novos gradus
impulsus recipiat mobile à partibus aëris, segnescent, &
deficiunt gradus impulsus à proiciencia recepti, & simi-
liter gradus producti in initio motus à partibus aëris, &
ex horum defectu motus languescit, donec penitus impulsus
deficiat.

7 Hæc ita Doctores component, in quibus nihil est non
difficile, neque alius occurrat modus, quo possit hæc diffi-
cultas solui, tu ex his illum, qui minorem tibi difficulta-
tem ingerat, elige.

PUNCTUM IV.

A quo proveniat motus resiliencia.

1 Pater Rub. tract. de impulsu, q. 5. cum Toletio, Conim-
bricensibus, & aliis apud ipsum citatis, docet motum
resilienciae tantum provenire à proiciencia, & obfistens tan-
tum esse conditionem ad resiliencia. Aliquibus conclu-
sionibus meam aperiam sententiam.

2 PRIMA CONCLUSIO: Motus resilienciae direc-
tæ oppositus motui, quem intendebat proiciens tantum
provenit ab obfistente. Probo: impulsus proiciens
nullam habet virtutem ad movendum proiectum in par-
tem oppositam illi, in quam primo illud movere intendit:
ergo motus ille tantum provenit ab obfistente. Probo an-
tecedens: si impulsus proiciens virtutem haberet mo-
vendi corpus motu opposito, seu motu directo resilienciae
eadem vi resiliere proiectum, quando impeditur corpore
molli ne ulterius progrediatur, quia cum impulsus proiciens
non possit movere proiectum versus partem, in quam
illud primo dirigebat motus, illud moveret versus par-
tem oppositam, sed experientia constat corpus proie-
ctum non resiliere quando obfistens est molle: ergo dicen-
dum est motum directum resilienciae, non posse provenire
à proiciens impulsu, sed tantum ab obfistente, quod tunc
mouet proiectum motu directo resilienciae quando illi im-
pulsus imprimit ita intensum, ut possit non solum impe-
dire motum, quem intendebat proiciens impulsus, sed
etiam impulsus superare, & oppositum motum producere.
Itaque movebatur proiectum à proiciencia impulsu ut
quatuor, obfistens directæ tantum alios quatuor gradus
impulsus debet imprimere proiecto, ut impediatur motum
proiciens, quos si tantum imprimit impulsus proiciens,
& obfistens mutuo impediatur & proiectum neutro
movebitur, sed propria gravitate in terram decidit.
Si verò obfistens sex gradus imprimat proiecto, qui im-
pulsu ut quatuor ferebatur, & impediatur impulsus pro-
iciens & motu resilienciae movebit proiectum ratione
duorum graduum, quibus impulsus obfistens superat pro-
iciens impulsus, tantusque erit motus resilienciae quan-
tus esset quilibet, & alius directus motus procedens à duo-
bus gradibus impulsus. Ex hac conclusio te deprehendes
cur proiectum non resiliat quando offendit corpus molle,
secus quando obfistens est durum, corpus enim molle tan-
tum imprimit impulsus sufficientem ad impediendum
impulsus proiciens, non verò ita illum exuperantem,
ut valeat in oppositam partem proiectum movere. Cor-
pora verò dura intensiorem imprimunt impulsus, & ita
obfistens durum impulsus imprimit non solum æqualem
impulsui proiecto, ex vi cuius illius impediatur motum, sed
etiam excedentem ratione cuius in oppositam partem mo-
ueat proiectum.

3 SECUNDA CONCLUSIO: Motus resilienciae obliquus,
seu indirectus non tantum provenit ab obfistente, quia si
tantum ab obfistente proveniret, quo corpus proiectum
maiorum impulsus imprimeret obfistenti, & maiorem im-
pulsus ab illo reciperet, velocius moveretur, & fortius

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

resisteret: sed constat proiectum velocius moveri, & fortius
resiliere, quo magis obliquè tangit obfistens, & consequen-
ter quo minorem impulsus ab illo recipit, quia quo ma-
gis obliquè illud tangit, minorem impulsus imprimit ob-
fistenti, & obfistens minus resistit, & minorem impulsus
proiecto imprimit: ergo motus obliquus resilienciae non
potest provenire tantum ab obfistente.

4 TERTIA CONCLUSIO: Motus obliquus resilienciae non
tantum provenit à proiciencia, sed etiam ab obfistente. Mo-
tum hunc provenire ab impulsu proiciens constat ex con-
clusionione præcedenti, in qua probavi non provenire adæ-
quatè ab obfistente. Alteram conclusionis partem videli-
cet provenire ab obfistente sic suadeo: Impulsus obfistens
valet motu directo resilienciae movere proiectum ut statui
conclusionione prima: ergo valebit idem movere motu indi-
recto, seu obliquo resilienciae. Vtriusque partis conclusionis
vna sit ratio. Quando obfistens obliquè tangitur à proiecto
proiciens & obfistens, etsi in diuersas partes intendant
movere proiectum, non tamen in oppositas, quia obfistens
obliquè tactum ex se non intendit mittere proiectum per
eamdem lineam, per quam ad illud pervenit, sicuti intendit
obfistens tantum directè, & ita licet non possint attempe-
rari impulsus proiciens, & obfistens directè tacti, quia
intendunt in partes directè oppositas, attemperari possunt
impulsus proiciens, & obfistens tacti obliquè, quia licet
intendant movere proiectum in partes distinctas, non
illud in directè oppositas trahere intendunt, & ideo pos-
sunt attemperari, & media quadam via illud ferre. Aptum
exemplum rem probat, & declarat. Pone corpus in medio
huius cubiculi, quod duo agentia finibus in duos cubiculi
angulos directè oppositos intendant movere, si utrumque
illud pari vi attrahere intendat, neutrum illud trahet, &
corpus immotum permanebit, quia neutrum agens alte-
rius impulsus vincere valeret. Quod si vnum agens for-
tius alio corpus attrahere intendat, tale agens contra al-
terius imperum corpus admovebit. Sic contingit in
motu directo resilienciae proiciens intendit movere pro-
iectum versus Orientem, obfistens illud intendit movere
per eandem lineam versus Occidentem: digladiantur
inter se impulsus proiciens, & obfistens, si proiciens
prævalere impulsus tradit obfistens, & proiectum absque
ulla resiliencia movetur, si vincit impulsus obfistens
proiectum resilit versus Occidentem, si verò par sit ob-
fistens, & proiciens impulsus neuter positiuè vincit,
aut vincitur, sed uterque impeditur, & proiectum neu-
trius impulsu movetur, sed propria gravitate in terram
decidit. Demus tamen corpus existens in medio cubi-
culi moveri intendi à duobus agentibus in diuersos an-
gulos non oppositos, sed immediatos, seu eundem pa-
rietem terminantes, tunc etiam si pari vi ab his agentibus
trahi intenderetur, non idè immotum permane-
ret, sed impulsus utriusque agentis attemperarentur, &
uterque simul corpus illud moveret, neuter per lineam
illam per quam intendebat ex se corpus trahere, sed
uterque per mediam aliam inter illas, per quas duplex
impulsus distinctus corpus ferre intendebat. Sic con-
tingit in motu resilienciae indirecto, seu obliquo. Pro-
iciens intendebat movere proiectum versus Occiden-
tem, obfistens obliquè tactum versus Meridiem idem
proiectum movere intendebat, attemperantur utrius-
que impulsus, & moveretur proiectum per lineam quam-
dam mediam inter Occidentem, & Meridiem, quam neu-
ter impulsus ex se intendebat, & in quam qualibet ra-
tione alterius per accidens fertur, dum non potest alter
in alterum prævalere, & ita positiuè vincere, ut illo non
obstante per lineam, quam ex se intendebat valeat ferre
proiectum.

5 Idem contingit in motu proiectorum respectu graui-
tatis corporis proiecti: impulsus proiciens intendit mo-
vere lapidem versus Orientem, gravitas intendit eum
deorsum ferre, dum prævalere impulsus proiectum linea
recta fertur versus Orientem, postea verò cum impulsus
aliquantulum remittitur, ita ut neque ipse possit in gra-
uitatem prævalere, neque gravitas in ipsum, attempe-
rantur gravitas & impulsus, & per modum vnius princi-
pii corpus mouent non deorsum linea recta sicuti graui-
tas intendebat, neque versus Orientem linea recta sicuti
intendebat impulsus, sed partim deorsum, partim versus
Orientem, & arcum quemdam peragit motus, quo pro-
iectum partim appropinquat ad centrum sicuti intendit
gravitas,

grauitas. Tandem quando impulsus est nimis remissus, penitus vincit grauitas, & proiectum linea recta deorsum descendit.

6 Obiicies: sequi ex hac doctrina corpus proiectum oblique tangens obfistens mouendum esse per maius spatium, ac moueretur linea recta, si obfistens non offendisset, quia obfistens non offenso tantum moueretur impulsu proicientis, illo vero offenso mouetur eodem proicientis impulsu, & simul impulsu impresso ab obfistente. Respondeo negando sequelam, quia etsi verum sit maiori impulsu moueri proiecta motu resiliencie, quam mouerentur motu recto, quia tamen motu recto mouerentur motu quodam per se intento a principio, magis mouerentur minori impulsu, quam maiori alio in motu resiliencie, quia hic non per se intenditur a principio, sed tantum per accidens ex occursum duorum principiorum, quorum quodlibet diuersum proiecti motum intendebat, & ita utriusque concurrat ad hunc motum, etsi neutrum per se illum intendat, quapropter minor motus producit ab utroque principio operante preter propriam intentionem, quam ab altero tantum produceretur, si iuxta propriam intentionem motum alium produceret.

7 Obiicies secundò: Etiam si proiectum oblique tangat corpus molle, illius motus impeditur, & quiescit: ergo impulsu proicientis non potest attemperari adhuc cum impulsu obfistens oblique tacti. Respondeo proiectum nunquam quiescere cum tantum oblique tangit obfistens, frequenter tamen quiescere dum tangit corpus molle, quia raro illud tangit oblique tantum, sed etiam directe, partes enim mollis obfistens oblique tacta comprimuntur, & proiectum ingreditur spatium ab illis relictum. Vnde prouenit, ut non solum oblique tangatur ab obfistente, sed etiam directe per partes anteriores, quia partes compressæ relinquunt alias immediatas eminentiores, & directe respicientes terminum, a quo incipit motus, secundum quas ita tangitur proiectum ut impulsu recipiat intendentem illud mouere motu directe opposito motui intento a proiciente, & hac de causa sæpius quiescit, vel parum mouetur.

8 Inquiri solet an mobile quiescat aliquantulum puncto reflexionis. Duplicem quietem Aristotelici assignant: priuatiam, & negatiuam, quietem priuatiam vocant, qua interruptitur motus tempore diuisibili, in quo potest esse motus successiuus, negatiuam quietem appellant, qua interruptitur motus mensurâ indiuisibili, in qua nulla potest esse motus successio. Quadrupliciter potest contingere reflexio. Primò, si motus directus, & reflexus sit naturalis ut contingit in dilatatione & constrictione cordis. Secundò si uterque motus sit violentus ut contingit cum pila proicitur ex hoc pariete ad illum, & ad eundem reflectitur. Tertio, si motus directus sit naturalis, & reflexus violentus ut contingit cum pila motu directo deorsum fertur, & motu reflexo sursum mouetur. Quartò si motus directus sit violentus, & reflexus sit naturalis ut cum lapis sursum proicitur rursus descendit.

9 Multa in hac questione superflue, & obscure permisceri solent, me breuiter ab illa expediam. Sentio per se loquendo necessum non esse mobile in puncto reflexionis

aliqua quiete motum interrompere, ac proinde si corpus sphericum tangeret perfecte planum, illud tangeret in puncto, & in puncto reflexionis, nihil quiesceret mobile, neque quiete priuatia neque negatiua, quia in instanti, in quo mobile tangeret obfistens non posset dici quiescere, & si ab illo non separaretur in illo instanti, quia in illo moueretur per acquisitionem presentie in illo instanti primo habitæ, ex vi cuius tangebatur mobile, & in sequenti instanti seu parte temporis, immediata instanti, in quo fuit factus contactus amitteret presentiam, ubi autem non est diuisibilis duratio eiusdem presentie nulla quies intercedit.

Quando mobile in parte temporis punctum reflexionis acquisiuit, sentiunt multi Aristotelici in instanti immediato quieturum quiete negatiua, quia non potest incipere motus in instanti. Difficile concipiuntur partes diuisibiles temporis in instantibus distinctæ, nolo tamen me illarum difficultate implicare, sed assero illis admissis eodem modo philosophandum esse per se loquendo de instanti a parte post immediato parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis acquisiuit, atque de instanti immediato a parte ante, & de reliquis instantibus interceptis partibus motus, neque specialem rationem inuenio, cur in illo instanti immediato a parte post parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis attingit, non possit mobile cieri, & possit in aliis instantibus. Quod nonnulli dicunt non posse motum incipere in instanti temporis nullius est momenti, quia si mobile in hoc instanti moueretur, quando fuit motum in parte immediata temporis, cur si motum in parte immediata temporis quiesceret in hoc instanti, non posset hora transacta in quocumque instanti de nouo incipere moueri eodem motu, quo nunc mouetur. Deinde dici potest motum sursum, & deorsum continuari, quia non differunt per aliquid intrinsecum, & ita etiam si in illo instanti mobile moueatur, non incipiet moueri, sed tunc erit continuatum utriusque motus. Hæc omnia facillime componuntur in sententia, quæ successiua tantum ex indiuisibilibus componit.

Quando obfistens, & mobile tanguntur per plura puncta, vel per partes aliquas diuisibiles, non possunt se in instanti tangere, quia non potest in instanti recedere aer diuisibilis occupans spatium occupandum partibus se tangentibus, & ob eandem rationem non potest mobile tangens obfistens secundum partes diuisibiles in instanti ab omnibus separari, quia non potest in instanti accedere aer occupaturus illud spatium ne detur vacuum, hoc tamen non probat omnino quieturum mobile, nec adhuc secundum partes, quæ non separantur ab obfistenti, quia recte possunt partes moueri, & non separari ab obfistente, ita ut necessum sit aërem ingredi ne detur vacuum, quia si per aliquod corpus planum trahatur in instanti temporis tota mouetur manus, & tantum vnicum plani indiuisibile relinquit ab aëre tangendum in corpore plano, sic potest dici de proiecto tangente obfistens. An in motu constrictionis cordis danda sit quies aliqua, ut recreetur, quia nimis laboriosum illi esset irrequieto labore agitari, tractant Medici, & affirmatiue concludunt.